

mam & sextam decumam legiones nihil cunctatus sacramento adigit. Quartadecumani paulum dubitauerunt. Pecunia & missio, ^a quamuis no flagitantibus oblata est. At in Chaucis ceptatere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum: & ^b praesenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Iusserat id Mennius castrorum praefectus, ^c bono magis exemplo, ^d quam coeesso iure. deinde intumescen- te motu profugus, repertusque, postquam ^e intuta latebra, ^f praesidium ab audacia mutuatur: ^g Non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tyberium imperatorem violari: simul exterritis, qui obstiterant, rap- tum vexillum ad ripam vertit, & si quis agmine decessisset pro desertore fore clamitans, ^h reduxit in hyberna turbidos, & nihil ausos. Interea le- gati ab senatu regressum iam apud aram Vbiorum Germanicum adeunt. Duae ibi legiones prima atque vicesima, veteranique nuper missi sub vexillo hyemabant. ⁱ Pavidos, & conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum iussu, qui inrita faceret quae per seditionem expresserant. utque mos vulgo, ^k quamuis falsis reum subdere, Munatium Plancum consulatu functum, principem legationis, autorem senatusconsulti incu- fant: & nocte concubia ^l vexillum in domo Germanici situm flagitare oc- cipiunt, concursuque ad ianuam facto, moliuntur fores: extractum cubi- li Caesarem, tradere vexillum, intento mortis metu, subigunt: mox vagi per vias obuios habuere legatos, audita consternatione, ad Germanicum tendentes: ingerunt contumelias cedem parant, Planco, maxime, ^m quem

OBSERVATIONES

- a Quam sepius accidit, ut ea vltro offerenda sint quae minimè petuntur; nempe iis, quos periculum est, ne ea vi, quam adhibere possunt, extorqueant: ac ne iis quidem fortasse contenti posthac maiora tentent.
- b Si seditio paucorum supplicio reprimi potest, in hos animaduerti optimum est.
- c Interdum id iuris, cuiusque potestatem sumere licet, cum id necessitas reip. postulat, quae alioqui nobis non est concessa. id quod cum accidit, bono magis exemplo, quam concessio iure fieri dicitur.
- d Praefectus castrorum non habet ius animaduerti in milites capitali supplicio.
- e Interdum accidit, ut, cui in latebris nihil, huic in audacia multum sit praesidij.
- f In eum statum aliquando adducimur, ut praesidium nobis ab audacia sit mutuandum; & quam obtinemus dignitatem tanto spiritu, tantaque animi magnitudine sit extollenda, ut eos, quibuscum nobis res est, quibusque merito aduersamur, perterreficiamus.
- g Qui minori alicui magistratui iniuriam facit, is haud dubie ipsius principis maiestatem ledit.
- h Seditiosi, pondum adulta seditione, à viro forti, & audace in officio contineri, eoque redigi possunt, ut nihil ultra audeant.
- i Conscientia vecordes facile intrat metus se eo supplicio, quo digni sunt, affectum iri.
- k Vulgi mos est, quamuis falsis reum subdere, i. etiam carum rerum, quae falsae & nullae sunt, culpam in aliquem conferre.
- l Quem penes est vexillum, is imperium in exercitu habere dicitur.
- m Fuga dedecet hominem magnae auctoritatis, praesertim in seditione, quae plerumque magnorum virorum constantia sedari potest.